



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Privilegium alterum consecrandi Calices.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

2. Consecrantur autem vel de iure ab Episcopo, vel ex Privilegio Romani Pontificis, qui ratissime illud concedit ab alio inferius. Ita Delugo de *Euch.* disp. 30. sect. 4. 1591. Debet tamen esse diversum privilegium, ab eo de benedicendis vestibus, de quo nos infra agemus nam in Patena, & Calice adhibetur unctio sacri Chrismatis, quæ non adhibetur in illis.

Privilegium primum consecrandi Calices.

AT invenitur tale privilegium alicui ordini Religioso, vel eius Prælati concessum? Respondetur. Triplex tale privilegium invenio. Primum est, ex Rodriq. in comp. res. 1. n. 7. pro Abbatibus concessum ab Innocentio V 111. per quod possunt soli Abbates Corporalia, aliæque ornamenta benedicere Calicibus (intelligit etiam Patenas) ut etiam aras consecrare Chriftum fieri, prius, ab aliquo Catholico Episcopo recepto, aliæque etiam pro usu exteriorum.

4. Notat tamen duo Rodriquez *ibidem*. Primo hoc Privilegio ipsis non licere uti extra Monasteria Ordinis, vel Ecclesias illis annexas, nisi de licentia Diocesani, aut Concilii Trident. sess. 6. de *refor.* cap. 5. est enim id excommunicatis Pontificalia. Secundo, alios Religiosos, quam communicantes in aliis privilegiis, tamen non in hoc. Innocentij V 111. quantum ad consecrationem eorum, in quibus Chriftus intervenit non communicare, id enim non datur nisi veris Abbatibus, & quidem ex vi huius privilegij, benedicis licet ex vi aliorum, etiam non benedicis, ex Rodriq. in *com. ces.* 1. n. 3.

Privilegium alterum consecrandi Calices.

Secundum privilegium, quod hac re invenio, est illud concessum Patribus Societatis I. E. S. V. a Paulo III. licet debet non tam à Gregorio XIII. ut habet per errorem Portella in dubijs Reg. V. benedicere, in calice. n. 3. per quod possunt prædicti Patres in locis remotissimis, puta Infidelium, vel fides sacerdotales, Palas Corporalia, Calices (intelligit pariter & Patenas) Altaria, cæmeteria, si Episcopus Catholicus, qui ea faciat, ibi non adhibet benedicere, ac profanatas Ecclesias reconsecrare.

6. Vbi notat primo idem Portella *ibid.* hoc privilegium cum prædictis limitationibus, cum non restringatur ad Abbates, ut præcedens, posse uti communicantes in privilegiis, quales sunt Fratres Minores: & idem dicitur de aliis Mendicantibus, qui tam communicant, quod certe est probabile. Licet Fagund. *præcept.* Eccl. 1. 1. 2. 1. 1. n. 1. id neget ex eo, quia hoc privilegium solum Sacerdotibus Societatis I. E. S. V. concessum fuisse con- stat.

7. Notat secundo illud (si Episcopus ibi Catholicus non est) quoad Prælatos Mendicantium intelligi solum pro consecratione Calicis (adde, & Patenæ, & Altaris) nam Corporalia, aliæque ornamenta, in quibus non intervenit Chriftus, potest benedicere Prælati Mendicantium solum ex alio privilegio, de quo infra *suo loco*; At Sacerdos non Prælati ex eisdem Mendicantibus solum potest uti hoc privilegio cum prædictis limitationibus, nam quoad Calices consecrandos, tum ad alia ornamenta benedicenda; cum enim, qui non est Prælati, non habeat ex se, seu sibi concessum aliud privilegium benedicendi Corporalia, habeat autem hoc præfens, sed modo dicto, limitatum, solo hoc, in remotissimis partibus illis, ut poterit. Cæterum, an ex aliqua tandem concessione, Sacerdotes non Prælati ex Mendicantibus possint benedicere benedicere Corporalia, & similia, dicemus *suo loco infra* c. 3. §. 2. n. 9.

8. Noto insuper tertio, neminem ex Societate hoc privilegio Calices consecrandi uti posse etiam cum prædictis circumstantiis, nisi specialiter alicui ipsorum concessum sit à R. P. N. Generali, à quo privilegia omnia Societatis dependent. Ita Ascensius Tamburinus

tom. 1. de iure Abbat. disp. 17. questio 1. n. 40. Confirmatur quia ex una parte, in compendio, nestorum privilegio- rum hoc exscriptum non invenitur: & ex alia ipse P. N. Generalis præscribit in præfatione dicti compendij, ne quis utatur privilegiis quomodocumque Societati concessis, quæ in dicto compendio, non sunt, nisi specialiter impetrentur ab ipso Generali.

Privilegium Tertium consecrandi Calices.

9. Denique idem Rodriq. comp. res. 13. n. 13. ait Provinciales Indiarum ex Minoribus (Adde tu, & alios cum eorum privilegiis communicantes) posse benedicere, hoc est consecrare calices, Episcopis in Provincia non existentibus, per Bullam Leonis X. & Adriani VI. eandemque facultatem posse committere, & communicare suis Fratribus. Quod privilegium diversum sanè est ab eo, quod modo retulimus n. 5. sed cum fere in idem coincidat, nulla indiget explicatione.

§. 111. De pœna celebrantis in Calice non consecrato.

1. Peccatum mortale committi à celebrante in calice, vel patena non consecratis, quia sit contra præceptum in re gravi, certum est, quare hic solum præsumimus an in iure incuratur aliqua pœna. Bonacina de *Euchar.* disp. 4. quest. ult. p. 9. n. 17. sic habet: Contra eum, qui utitur calice ligneo, aut calice non consecrato constituta est pœna depositionis ab officio & beneficio, cap. ult. de celebrat. Missarum. Hac Bonacina; quod fortasse sumptit à Suario de Sacrament. disp. 81. sect. 7. §. Alia autem forma, qui sic ait (Et ideo in cap. ultimo, de celebratione Missarum deponitur Sacerdos, qui sine sacro calice consecraverit.)

2. Sed amabo te addeamus prædictum cap. ultimum, & videamus quid Episcopo Brixienti scribat in illo Honorius III. Litteras tuas (inquit) recepimus continentes quod cum super excessibus presbyteri Ecclesie S. Brigide inquireret, confessus est quod cum quadam die hostiam, & calicem non haberet in pane fermentato, & scypho ligneo, Missarum solemniter celebrare presumpsit, & infra Intellecto iterum quod prædicta Ecclesia per malitiam dicti Presbyteri multipliciter ladebatur, inquisitionis officium iterum, ex eius Confessione invenisti, quod idem sine igne sacrificabat, & aqua. Cum igitur vel ex aperta malitia, vel nimia desipientia peccasse probeatur, mandamus, quatenus officio, beneficio perpetuo ipsum privet. Hac Honorius.

3. Vbi vides, Primum, hanc non esse pœnam universalem, sed illi peculiari presbytero infligendam. Secundo, esse eiusmodi pœnam velis extendere ad omnes, certe ad omnes similiter delinquentes: At, si bene notas ut notavit *ibidem* Glossa, Sacerdos ille quatuor peccata commisit. Primum celebravit in pane fermentato, quod non licet in Ecclesia Occidentali. Secundum, in scypho ligneo. Tertium, sine igne, hoc est sine candelis accensis. Quartum, sine aqua, quæ vino conferendo commiscenda erat; & contra hos omnes excessus, illa pœna privationis officij, & beneficii fulminatur à Pontifice. Quomodo ergo ad celebrantem, in calice non consecrato tantum, extendere velis; Tertium, licet, qui in scypho ligneo celebravit, supponatur in vase non consecrato celebrasse, & licet item supponamus, in hoc Sacerdotem illum duntaxat, & non in aliis deliquisse, certe, quis non videt minus esse in calice auro, vel argenteo non consecrato celebrare, de quo casu nos loquimur, quam celebrare in ligneo scypho non consecrato? cum igitur paria peccata non sint, cur pari pœna puniantur?

4. Stet igitur, non esse ullam pœnam infligendam contra celebrantes in calice, patenæque non consecratis.